



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De mutatione habitus & morum. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

nuin, faretur se non frustra texuisse sermonem. Quia cepi, inquit,  
vt spero, magistrum Gerardum, & confido de eius conuersio-  
ne, quod bonum propositum velit tenere, & factis comprobare.  
O stupenda & laudanda saluatoris nostri clementia! O ineffabi-  
lis Spiritus sancti virtus & gratia, quae facilè corda hominū mu-  
tatur, dum intus visitat & illustrat. Hæc est mutatio dexteræ Ex-  
celsi, faciens prodigia sursum, & signa in terra deorsum; eu-  
cuans tenebras, & lucem cordi infundens. Hæc est Dei solius  
potentia magna, qui in benedictionibus dulcedinis suæ preuenit  
electum diaconum suum Gerardum, faciens de leone agnū; quæ  
ante secula prædestinavit sibi incorporandum, atque in fine se-  
culorum præparauit ad euangelizandum verbum suum multis  
ciuitatibus & populis, ad sancti nominis sui laudem & honorem.

## CAPVT V.

## De mutatione habitus &amp; morum.

**N**Elongè pôst, cœpit bonæ voluntatis suæ propositum  
ducere ad eff. Etum Igitur animo bene deliberato, & in  
Christo fundato, abrenuntiat beneficijs cunctis; vestes mutat  
seculaires, simplicibus induitur, sicut decuit humilem clericum;  
mundi contemptum diutijis præferentem. Fit rumor in populo,  
& multi obstupescentes de nouitate facti, ad inuicem loqueban-  
tur. Quid hic iam prætendit? Quæ res noua huic accidit? Num-  
quid multæ literæ ad insaniam eum perduxerunt? Ecce, qui iam  
antea ornatissimis vestibus incedebat, nunc incultis & griseis tegitur  
lanis. Et qui conuiuijs & epulis deletabatur varijs, nunc respuit  
incunda, querit vilia; fugit honores, diligit paupertatem. Ete-  
nim manus Domini erat cum eo, cœpitque fiducialiter agere in  
nomine Domini.

2. Vnde hominum fabulationes & susurrations inanes par-  
cipiens, ad Deum tota cordis intentione se conuerit, dicens  
Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in  
tabernaculis peccatorum. Factus est ergo (Deo cooperante) ex  
diuite pauper, de superbo humili, de delicato abstinent, de va-  
go stabilis, de mundano spiritualis, de curioso simplex & deuo-  
tus. Loquentibus igitur & mirantibus populis, de subita muta-  
tione rati viri accessit ad eum secretò unus ciuium eius de mag-  
natibus, volens pleniùs scire propositum venerabilis magistri  
fugientis lœta confortia mundi.

3. Cumque multa ab eo studiosè exquisisset, & perfectè abre-  
nuntiationis mysterium audisset, ita de dubijs quæritis perdoce-  
tur, vt summè ædificatus abiaret, dices: Quid isti ignati & vulga-  
res,

res, de bono & prudenti viro tam insana verba loquuntur? Numquam tam sapiens & sensatus esse cœpit, sicut modò cum seculi vias fugiens deserit, & Deo in spiritu humilitatis seruire intendit. Quam felix foret, qui imitari veller, nec bene agenti insuetaret? Si in hoc bono persistiterit, multorum erit ipse causa bonorum.

## CAPVT VI.

*Qualiter à consertio secularium se substraxit.*

**I** Ed ne semen sanctum in corde viri Dei plantatum, à trā. cunctibus secus viam conculcatur, aut à volucribus cali non opertum carperetur, ne etiam lumen accensum leui flau extingueretur, sed potius sub modio latens seruaretur, & pinguedine internæ deuotionis nutritetur; vel ne recens & fragilis arundo, vanitatis aura pulsata, ad terram mox flectetur, sed virtute firmaretur ex alto: elegit humiliis magister ad tempus latere, & ab humanis aspectibus secularium que colloquijs se cautè segregare; à cunctis quoque mundi curis animum solvere, soli Deo & sibi liberè vacare, ut primò in se disceret, quod postea docturus erat; quatenus diuina dulcedine prægustata, a quanimiū faret pro veritate aduersa; nec diabolica pertimesceret tentamenta ipsi aduentura.

**2.** Secessit igitur à ciuitate sua, & de domo paterna, vénitq; in partes Geldriæ, ad religiosos fratres Carthusienses in Monichusen, in Christi charitate sibi dilectos. A quibus reuerente suscepitus, cellam accepit, ut hospes amādus, quam latus & desideranter ingrediens, cum beato Petro, in mentis excessu ait *Domino bonum est nos hic esse.* Ibi nāque recollegit cordis sui dispersiones; ibi veteris vitæ detergit rubigines, atque interioris hominis imaginem reformauit ad purum. Ibi insurgentes passionum motus ieiunando vigilando que confregit, & dæmoniū varios insultus orando flendo que deuicit, loquens cum sancto David: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: Expectabam eum, quis saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate. Vidi & ego habitationis eius locum, in quo lucerna Dei & amicus omnipotens ad tempus latuit, donec super candelabrum posceretur, ut omnibus lucis exempla monstraret.*

Psal. 54.

CAPVT

